


## C A P. VIII.

*De gradibus tribus in motu augmentationis & incrementi inter aerem simplicem & corpora meteorologica seu imperfecte mixta, & de ratione mathematica eorum.*

**V**ltimo præcedentis libelli capitulo declaratum habetis, quod de nihilo seu hylæ gremio facta sit progressio, per lucis emanationem ad vnitatem, cuius reuelatione & alia vntas potentialis est producta, ei dispositione opposita, videlicet tenebræ, vnde à monade ad diadem, & à diade ad triadem, per spiritus humidi introductionem & productionem, ab his duabus, vtpote qui est gluten, ambo extrema simul tanquam animam cum corpore coniungens, ac tandem horum omnium ad numerum quaternarium, ad mundi simplicis complementum fit progressio ad quatuor, elementa ab inuicem differentia in actum producens, quæ mixtorum omnium sunt initia proxima, non aliter quam in geometria superficies quadratae sunt corporis cubici principia immediata, quem quidem ordinem arithmeticæ sic depinximus.



†. Tenebræ absolutæ. a. Lux prima creatura. b. Prima mixtio lucis cum tenebris. c. Lux. d. Aqua. 2. Tenebræ seu secundus compositionis simplicis gradus. e. Ignis. f. Aer. g. e. Aqua: 4. Terra: Radix. 2. Quadratum. 4.

Vbi numerus binarius est radix materialis, ex qua primum quadratum. 4. elementa indicans derivatur, Ita etiam in corporum perfecte mixtorum productione totidem gradus intersunt, in motu naturæ, à quadrato seu 4. elementis, ad cubum seu elemētatum perfecte mixtum, qui omnes gradus corpora imperfecte mixta reuera sunt dicenda, vtpote qui à simplicitate elementorum mixtionem versus progrediuntur, progressio igitur à quadrato ad cubum est huiusmodi.